

Q.R. 215. 28.

(Cat)

Vg  
1417



Q  
AD 1867 NOV 11 1867  
GÖTTSCHE



Q.K. 215.

III. 850.

# DEMONSTRA/ TIO MANIFESTI MEN- DACII,

QVO INFAMARE CONA-  
TVR DOCTOREM IOHANNEM  
P F E F F . L I B E L L V S Q V I D A M M A L E-  
dicus & Sycophanticus germanicè editus titus  
Io Nicolai ab Amsdorff, Necessaria propter  
Veritatis assertionem & auersionem Scan-  
dali, & tuendam existimationem  
sinceræ doctrinæ.




t 4

Psalm. 140.

Acuerunt linguas suas sicut serpentes, uenenum  
aspidum sub labijs eorum.

VVITEBERGÆ

1558.



# AETRONICA VIM ITAGINAM OIT JIOAD

## •OPIUM

សម្រាប់អ្នកដើរទៅបានជីវិតជាអ្នកសង្គមនូវការបានជីវិតជាអ្នកសង្គមនូវការ

# ЗАЯВЛЕНИЕ

•833 E

IOHANNES PFEFFINGER  
SACRAE THEOLOGIAE DOCTOR,  
PASTOR ECCLESIAE LIPSENSIS, OMNI-  
NIBUS UERITATEM, QUI EST CHRISTUS, AMANTIBUS, & ODIO  
MENDACIUM, PROLEM DIABOLICAM, PROSEQUENTI-  
BUS, SALUTEM, GRATIAM, PACEM, GAUDIUM  
IN DOMINO NOSTRO IESU CHRISTO, OPTAT.



NNI SVNT COMPLVRES, CVM  
MULTIPPLICIBUS CALUMNIJS PETITUS, & UARIIJS  
CONTUMELIJS AFFECTUS, CONSTANTE PROPOSITO  
TACUI & DISSIMULAVI INIURIAS, & STUDIO AR-  
DENTE CONATUS SUM CONCILIARE MIHI ILLAM  
PROPHETÆ LAUDEM, QUI AIT: FACTUS SUM SICUT  
HOMO NON AUDIENS, & NON HABENS IN ORE SUO REDARGU-  
TIONES, TAMETSI INGENTI DOLORE AFFICERER, QUI INCLUDEBA-  
TUR IN UISCERILUS MEIS, PROPTER OBTRCATIONES ADUERSA-  
RIORUM, NON TAM MEA CAUSA QUAM ECCLESIAE & REIPUB.  
RESPECTU. QUINT ETIAM MEAM MOLESTIAM ALIQUANTIS PER RE-  
PRESSIT SPES QUÆDAM, FUTURUM, UT & PATIENTIA MEA &  
COGNITIONE UERITATIS MALEUOLI PLACATI DESINERENT INFAMA-  
RE NOMEN MEUM, & INCIPERENT PARCERE MISERA ET ADFLICTÆ  
ECCLESIAE. CUM AUTEM UIDEAM TEMPORIS PROGRESSIONE  
SIMUL AUGERI ODII ACERBITATEM, NEC INIMICOS NOMINIS  
MEI MUTARE SENTENTIAM AC UOLUNTATEM, AC POTIUS NON  
MODO PROPOSITUM LAEDENDI ME URGERE, SED INDIES NO-  
UAM ALIQUAM FRAUDEM COMMUNISCI AD POLLUENDAM EXI-  
STIMATIONEM MEAM, NON PUTAVI DIUTIUS FILENDU ESSE, UEL  
PROPTER CONSCIENTIAM ERGA DEUM, UEL PROPTER OFFENSIO-  
NES HOMINUM. COEPIQ; CUM ESAIA ME IPSUM COMPELLARE:  
A ij Tacui.

Tacui. Nunquid semper tacebo & sustinebo? Perdura-  
ui tanquam parturiens. Quid autem Ecclesiastes ait?  
Tempus est tacendi, & tempus est loquendi. Ut autem  
propter honorem nominis diuini, & Ecclesiæ quietem  
hactenus tacui, ita nunc ad gloriam æterni Dei & utili-  
tatem Ecclesiæ, necessitate impulsus, loquar ueritatem,  
ut huius tanquam igne exicetur quamvis abundans  
rius mendaciorum, quibus mea fama iam dudum con-  
taminatur. Sane tanta fuit incitatio odij cum in alios  
nostros, tum in primis me quorundam, sine ulla culpa  
mea, ut uere possim dicere: Nisi Dominus esset in nobis  
dum homines insurgunt in nos, nimirum uiuos deglu-  
tissent nos. Cum igitur satis uel nimis diu tacuerim,  
nunc tandem os aperire & loqui me tempus est, ut ap-  
pareat ueritas, & discutiantur falsitatis tenebræ. Neq;  
facturus adhuc eram, ut pro me aliquid dicerem, cum  
innocentia mea responderet pro me, Nisi impudentia  
obtrectionum faciendi necessitatem ineuitabilem  
imposuisset. Scio enim quām indigna Christianis, uel  
aliena potius res sit contentio & certamina. Et hunc do-  
lorem acerrimum capio, quod non liceat mihi dissimu-  
lare amplius conuicia, quæ tacendo agnoscere, & me  
ipsum impietatis condemnare uideri possem. In hac  
autem defensione hoc præstabo, ut nihil nisi quod præ-  
teriri silentio nullo modo deberet, à me commemora-  
tum esse intelligatur. Teq; toto pectore oro o fili Dei  
Iesu Christe, qui uenisti in mundum ad destruendum  
opera diaboli, ut huius furorem repellas, horribiliter  
dissipantem cœtus Ecclesiasticos, & parricidali odio  
mortem tuis struentem. Sed ad rem ueniamus.

Editus superioribus diebus fuit libellus, præferens  
nomen

nomen Nicolai ab Ambsdorff, Germanica lingua scriptus. Cuius auctor si ille est Ambsdorfius, qui Reuerendum virum Doctorem Lutherum, & obseruauit ac co*luit*, & difficili ac dubio tempore comitatus socium se præbuit periculorum, quæ tum in confessione ueritatis adita fuerunt, sane miror & doleo ab illo priore optimo & Christianæ doctrine studiosissimo viro adeo eum esse mutatum. Quid? quod non simpliciter sed multipliciter uesani hominis istud Scriptum uideri possit. Sed meam causam agam.

In libello isto hæc leguntur:

Über die fünff sind noch etliche furhant den/ als D. Pfeffinger mit seiner Rotten/ die lehren vnd streiten/ das der Mensch aus Natürlichen kresssten seins freien willens sich zur Gnade schicken/ vnd bereiten könne/ das jm der heilig Geist gegeben werde/ Wie denn die Sophisten/ Thomas/ Scotus etc. auch gelert haben. Denn in seiner Disputation vom freien willen / so er für zweien Jahren gehalten hat/ schleust er solchs ganz frech vnd vermesssen/ un gefehrlich mit diesen worten:

Homo suis naturalibus viribus uerbo assentiri, promissionem apprehendere, & spiritui Sancto non repugnare potest. Ideo non esse repugnandum spiritui Sancto, sed ipsi mouenti mentes & corda nostra est assentendum. Nam hoc pacto à potentibus accipitur spiritus Sanctus, id est, non aspernantibus, non repugnantibus. Hæc ille, si recte memini.

A ij His

His additur accurata disputatio confutans sententiam eam quam expositorum uerborum esse, & quemadmodum intelligi illa perhibetur. Nunc mihi primum non demens aliquis, non somnians in profundissimo sopore, non per ebrietatem uecors, sed sana mente prædictus respondeat, Qualis ista clausula in tam atroce accusatione & Capitali crimine dicenda sit: Hæc ille, si recte memini. Tu fratrem dicto iugules, & interficias eum, pro quo Christus filius Dei mortuus est, & dubites, recte ne memineris eorum quæ exponis? Hæc si rabies non est, quid sit nescio. Commemorat uerba, addit locum, indicat tempus editi libelli in quo scripta sint, & dubitat an recte meminerit, cum nihilo minus condemnetur Pfeffingerus, & proclametur hæreticus sexto loco. Nimia ista est facilitas, ne quid grauius dicam, uestra, quicunq; estis turbatores Ecclesiæ Christi tam alieno tempore, & hanc uoluptatem conciliatis oppugnantibus doctrinam cœlestis ueritatis, ut eorum qui illam profiteri se dicunt dissensionib; delectentur. Factum est ante quidem sæpe, uel potius hoc tantum est factum, ut declamaretis populariter, de ignotis, & alienis, & neq; necessaria certamina moueretis, & spargeretis partim incerta & inexplicata ac dubia, partim manifestò falsa atq; ficta, & applausum uulgi peteretis. Hæc igitur uideas, quicunq; ueritatem (à qua aberrans recedit ab æterno Deo) diligis & quærvis, & criminis ab uno disce omnes. Quid opus est autem uerbis? Si recte meminit autor maledici & impuri scripti, causam non dico quin habear pro eo quem infamando ille me facit. Sin non recte meminit, quo loco ille inter Sycophantas habendus sit, qui talia edere & exagitare

agitare audet, statuat quisq; suo arbitrio. Quid autem  
decidet litem? Id quod accusator afferat, libellum à me  
esse editum de libertate uoluntatis ante biennium, in  
quo ea quæ supra retuli, legantur. Procedat igitur  
disputationis meæ libellus, qui ita est tum editus quem  
admodum optima fide exprimendum modo curauī.  
Ac si aliter esse editum accusator planum fecerit, non  
recuso quin omnium iudicio & sententia condemna-  
tus, habear pro uanissimo & mendacissimo. Sin mis-  
nus, hoc saltem peto, ut misericordia tangantur no-

stri, has tam impudentes & atroces ignominias  
falso imponi nobis cognoscentes tam li-  
quido, ut ne uerbo quidem ad pro-  
bandum opus sit. Sequitur ergo  
disputationis editio, cuius  
titulus:

## **titulus :**

DE

# DE LIBERTATE TE VOLVNTATIS HUMANA

NÆ, QVÆSTIONES QVINQUE.

D. Iohannes Pfeffinger.  
IOHANNES PFEFFINGER THEO-  
logiæ D. & Pastor Ecclesiæ Christi in urbe  
Lipsia, pio Lectori.

Bono & utili consilio institutum est, ut de ijs rebus  
quarum doctrina publica proponitur in Academ-  
ijs, singularum professionum Collegia certis  
temporibus quædam capita conscriberent, de quibus  
quærere & disputare omnibus concederetur. Nam ins-  
ter docendum par est & decet, ut discipuli auscultent  
& credant Magistro: In disputationibus autem potes-  
tas fit dubitandi & percontandi & contradicendi eti-  
am. In quo si qui ostentandi ingenij aut rixas commo-  
uendi causa, non ita se gerunt quemadmodum debe-  
bant, id est, non hoc agunt ut ueritas illustretur, sed ut  
contentiones augeantur: non ideo res præclara & stu-  
dijs necessaria intermitti, ac frequentius & maiore cum  
cura potius tractari debet. Atq; ut semper probauit ac  
secutus sum & tradidi, tam in Schola quam in Templo,  
simplicem & explicatam & consensu pietatis atq; reli-  
gionis fundatam ac confirmatam doctrinam: Ita studiu-  
tam superiore quam hoc tempore capita describere illis-  
us, serie perspicua & consentanea inter se, & congruen-  
tia cum alijs partibus Christianæ doctrinæ. Non enim  
solummodo absurdæ & paradoxa in medium proferre  
uitandum

uitandum esse existimo: Sed de notis quoq; & usitatis  
non iudico consultum esse, ut nouam & insolitam ratio-  
nem ac uiam uel uerborum uel sententiarum ingredia-  
mur & persequamur: Ita enim consensio doctrinæ labet  
factatur, qua nihil ad gloriam Dei celebrandam & sa-  
lutem omnium procurandam in Ecclesia melius au-  
prius esse statuendum. Itaq; ansit omnes religiosi &  
pij debent, ut non modò eadem perpetuò dicant, sed  
de ijsdem etiam eodem modo. Nee ignoro materiam  
huius disputationis esse aliquantulum lubricam, & con-  
tentioso in hac in primis parte nullo modo satisfieri, &  
ea quæ secundum ueritatem Canonica de hac po-  
nuntur multas p̄ebere causas, quas arripere animi cu-  
riosi & callidi possint ad exagitandum uerè & simplicia-  
ter dicta. Sed nihilo tamen minus medium uiam ueris-  
tatis tenere optimum esse putauimus. Et quæ huius  
studio aliquis contra proposita attulerit, ea speramus  
nos esse explicaturos, cæteris ut satisfiat non laboramus:  
Cum quibus disputare uere est fluctus numerare, ita alia  
ud post aliud incitatur, & posterior opinio obruit atq;  
inuoluit priorem. Nostrum studium seruire cupimus  
gloriæ Dei & utilitati Ecclesiæ Christi filij Dei Domini  
nostrri. Cui cum æterno patre coæterno filio in  
unitate sancti Spiritus, sit laus, honor,  
victoria, in seculorum secula,  
**Amen.**

B

Quæstio-

QVÆSTIONES QVINQVE, DE  
LIBERTATE VOLUNTATIS HUMA-  
NÆ, PROPOSITÆ IN DISPUTATIONE ORDINARIA, PRÆ-  
SIDENTE IOHANNE PFEFFINGERO D.

1555.

I.

PRIMVM cum quæritur, an aliqua sit uoluntatis  
humanæ libertas in præstanda externa disciplina,  
seu faciendis externis moribus, uerè respondetur  
esse aliquam uoluntatis libertatem, uidelicet, quod attin-  
net ad potentiam loco motiuam, ut abstinere manum  
ab homicidio, corpus à scortatione & adulterio, manus  
à furto &c.

II.

Et quamvis hæc libertas uoluntatis maxime in-  
firma sit, & ualde impediatur ab imbecillitate quæ no-  
biscum nascitur, cum uidelicet affectuum' tanti sint im-  
petus, ut laxet eis frenos uoluntas, quæ tamen uolens  
eis laxat, Et à diabolis impeditur, qui impellunt ho-  
mines, ut ruant in tetra scelera præcipites, ut Nero hor-  
ribiliter grassatur omni genere scelerum: Tamen inter  
hæc impedimenta manet aliquis delectus, aliqua libera-  
tas in mediocriter sanis regendi externos mores.

III.

Hinc S. Paulus fatetur aliquam esse iusticiam carnis,  
id est, disciplinam qua homo non renatus facit externa  
honesta opera, ut cum dicit Roma. 9. Israelitas sectari  
legem iusticiæ, ubi haud dubie intelligit eos facere ex-  
terna legis opera. Et Roma. 2. in eandem sententiam  
ait: Gentes natura ea quæ legis sunt, facere.

Cum

### III.

Cum igitur sit aliqua iusticia carnis, & possint homines sibi imperare, ut externa legis opera faciant, non dubium est, esse aliquem delectum & libertatem uoluntatis, quæ antefert honesta opera sceleribus.

### V.

Est & ipsa fabricatio humani corporis testimonium libertatis. Nam ita condita est hominis natura, ut nerui uoluntarijs motibus seruant: Cum uoluntas imperat loco motuæ, nerui obtemperant, hanc libertatem negare, est repugnare manifestæ experientiæ in opificio hominis.

### VI.

**S**ECVND O, cùm quæritur, An & quatenus uos  
Sluntas humana possit obedire legi Dei, Vere & sim-  
pliciter respondetur, humanam naturam non posse  
legi Dei satisfacere, propter nobiscum nascentem prauitatem, quia lex non tantum externam requirit disciplinam, sed interiorem cordis mundiciem & puritatem, & integrum atq; perfectam obedientiam.

### VII.

Certum est autem non habere homines libertatem, deponendi hanc prauitatem nobiscum nascentem, sicut non habent potestatem deponendi mortem.

### VIII.

Huc referri possunt sequentia testimonia Rom. 8.  
Cum impossibile esset legi (uidelicet tollere peccatum & mortem, quia lex à carne perfici non poterat) misit Deus filium in similitudine carnis peccati, & per peccatum damnavit peccatum in carne, ut iustificatio

B ij legis

legis in nobis impleretur. Item, Sensus carnis inimicicia est aduersus Deum, nam legi Dei non subiicitur nec subiici potest. Item; Diliges dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota anima, & omnibus viribus &c.

### IX.

Et quanquam Deus ab omnibus requirat etiam externam disciplinam, quæ in reconciliatis Deo placet propter Mediatorem, quem Ethnici ignorant; Tamen propterea persona non est iusta coram Deo, quæ etsi carnis iusticiam habet, tamen habet & alia uicia & peccata pugnantia cum lege Dei, sed gratis propter meritum Christi, quod fide accipi necesse est, iustificatur.

### X.

Et huc referri possunt hæc dicta: Innonens coram te non est innocens. Item: Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificatur in conspectu tuo omnis uiuens. Item, Nihil mihi conscient sum, sed in hoc non sum iustificatus. Item, Qui gloriatur, in Domino glorietur, &c.

### XI.

**T**ERTIO, cum de spiritualibus actionibus quæruntur, recte respondetur, humanam uoluntatem non habere eiusmodi libertatem, ut motus spirituales sine auxilio Spiritus sancti efficere possit.

### XII.

Ideo non repugnandum Spiritui sancto est, mouentis mentes & corda nostra, sed assentiendum ipsi. Nam hoc pacto accipitur Spiritus sanctus à potentibus, id est non aspernantibus, non repugnantibus, sed cum ge-

mitu

mitu petentibus auxilium. Et Actis 5. dicitur, Dedit Spiritum sanctum obedientibus ipsi.

XIII.

**Q**UARTO, Etsi interiores motus Deo placentes, ut uerus timor Dei, uera fiducia uincens pa- uores in morte, & in alijs magnis doloribus, ardens dilectio Dei, constantia confessionis in supplicijs, non suc- cumbere incendijs libidinum, ambitionis, æmulationis, cupiditatis uindictæ in magnis causis, Itemq; cæteræ uirtutes congruentes legi Dei, Hæc etsi non fieri pos- sunt sine auxilio spiritus sancti, non tamen in his nihil agit uoluntas, nec habet se ut statua, sed concurrunt agentes causæ, Spiritus sanctus mouens per uerbum Dei, mens cogitans, & uoluntas non repugnans, sed utcunq; iam mouenti Spiritui sancto obtemperans, & simul petens auxilium Dei. Sic ille Marci. 9. inquit, Credo Domine, sed fer opem diffidentiæ meæ.

XIII.

Oportet igitur nostram aliquam assensionem seu apprehensionem concurrere, cum quidem iam & Spiritus sanctus accederit mentem, uoluntatem & cor. Hinc Basilius ait : Solùm uelis & Deus anteuertit. Et Chrysoft : Trahens autem uolentem trahit. Atq; S. Au- gu: inquit, Eos qui uocationis munus congrua pietate susceperunt, & quantum in homine est, Dei in se do- na seruantes, adiuuat. Item, Præeunte gratia comitante uoluntate.

XV.

Videmus præterea uoluntatem differre à lapidis bus, Et quæ naturaliter & necessario agunt, ijs tantum una

una species actionis attributa est, Voluntas autem non habet unam & certam speciem actionis. Atq; hæc ratio refutat eos, qui nullam tribuunt homini libertatem deligendi ea, quæ subiecta sunt rationi, & faciendi externa opera, mandata lege Dei.

### XVI.

Si enim haberet voluntas ut statua aut saxum, nulla lucta esset, nullum certamen retinendæ fidei, ac nulli essent pauores & angores in sanctis. Manifestum est autem, in uoluntatibus piorum annitentium, ut assentiantur promissioni, magnas & difficiles luctas esse & certamina. Voluntas igitur non est ociosa, sed languide assentitur, & nisi promissionibus & exemplis inter inuocandum subinde commonefieret ac iuaretur à Spiritu sancto, rueret in desperationem.

### XVII.

Voluntas si ociosa esset, seu haberet se purè passiuè, nullum esset discrimin inter pios & impios, seu electos & damnatos, ut inter Saulem & Dauidem, inter Iudam & Petrum. Et Deus fieret acceptor personarum, & autor contumaciae in impijs ac damnatis. Et constituerentur in Deo contradictoræ uoluntates, id quod pugnat cum uniuersa scriptura: Sequitur ergò in nobis esse aliquam causam, cur alij assentiantur, alij non assentiantur.

### XVIII.

Expressè autem scriptura dicit, Apud Deum non esse acceptionem personarum, ut Deut. 10. Actorum 10. Roma. 2. &c. Et non intelligatur acceptio personarum de ijs, quæ conspicua sunt in homine, ut quisdam

dam interpretantur, sed non esse omnino æqualem  
æqualibus.

## XIX.

Est autem hæc summa iusticiæ Dei laus, quod si  
æqualis æqualibus, secundum regulam quam tradidit.  
Damnat peccatum in omnibus, & dedit filium propri  
ciatorem pro omnibus, sicut dicitur Roma, 11. Conclu  
sit Deus omnes sub inobedientiam, ut omnium mis  
sereatur, id est, arguit omnium inobedientiam, omnes  
uocat ad pœnitentiam, omnibus etiam misericordiam  
offert propter filium, sicut & in 3. cap. ad Gala. dicitur:  
Conclusit scriptura omnia sub peccatum, ut promissio  
ex fide Iesu Christi daretur credentibus.

## XX.

Esaias in utraq[ue] concione ponit uniuersales parti  
culas cap. 53. Omnes nos quasi oves errauimus, & pos  
suit Dominus in eo iniquitates omnium nostrū. Rom.  
3. Iusticia Dei per fidem Iesu Christi, quæ est in omnes  
& super omnes credentes, Roma, 10. Idem Dominus  
omnium, diues in omnes qui inuocant eum. Iohan. 3.  
Sic Deus dilexit Mundum, ut filium suum unigenitum  
dederit, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat.  
Matth. 11. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati  
estis. Acto, 10. Huic omnes Prophetæ testimonium  
perhibent, remissionem peccatorum accipere per no  
men eius, omnes qui credunt in eum, &c. Hæc & si  
milia dicta, æqualitatem definiunt, & ostendunt, non  
esse acceptionem personarum apud Deum, sed recipi  
ab ipso omnes confugientes ad filium, & rei[ci] omnes  
contemnentes filium.

Has

## XXI.

Has promissiones uniuersales non statuamus inanes esse uoces, sed uera fide erecti petamus beneficia, & ea nobis exhiberi credamus, quæ in promissione proposita sunt. Nec sinamus nos diuelli à ueritate harum promissionum humanis opinionibus & contentionibus, quas fingunt homines discedentes à uera & propria propheticorum & apostolicorum testimoniorum sententia, & quærentes propriam laudem & gloriam in exquirendis ac defendendis singularibus & alienis opinionibus, quas adolescentes repudiantes recte faciunt.

## XXII.

Et semper in conspectu sit firma hæc & certa sententia, non aliam esse quærendam Dei uoluntatem extra uerbum, in quo se patefecit Deus, cuius æternum & immutabile mandatum est, ut audiamus filium, sicut dixit: *Hunc audite, & credamus promissioni gratiæ.*

## XXIII.

Non est igitur quærenda electio extra uerbum & relicto Christo, & mandato de amplectenda promissione, sed à posteriore iudicandum est de electione, uidelicet sine ulla dubitatione electos esse eos, qui misericordiam propter Christum promissam fide apprehendunt, nec abiiciunt eam fiduciam ad extremum: Qui uero repudiant, & tandem abiiciunt, non esse electos, ideo concurrere in accipiente moto à Spiritu sancto per uerbum, apprehensionem promissionis seu Christi cognitionem oportet. Ideò enim electi sumus & recepti, quia credimus in filium. Sic dicitur in Iohanne, *Ipse pater diligit uos, quia uos me dilexistis, & credidistis quod à Patre*

à Patre exierim. Et S. Paulus inquit, Quos elegit, hos & uocat, nullibi enim sunt electi, nisi in numero uocatorum.

### XXIII.

Constat igitur non incertam aut dubiam esse electionem, quemadmodum falso inde quidam colligunt. Sed ex uerbo Dei discendum esse, qui sint electi, per illud enim efficax est Spiritus sanctus, & mentes & corda mouet ut credant. Huic igitur non repugnare nos oportet, sed aliquam etiam assensionem accedere nostræ uoluntatis, quam non sicut saxum aut incudem se habere certum est.

### XXV.

Et quamvis concurrere nostram assensionem seu apprehensionem necesse sit, ideo tamen nihil detrahitur merito Christi, ab hoc conditio dignitatis seu meriti nostri excluditur, non ipsa assensio seu apprehensio, quam requirit & postulat Deus, cùm inquit: Hunc audite. Item, Omnis qui credit in filium, habet uitam æternam.

### XXVI.

Nec repugnat nostræ sententiæ dictum Christi: Multi uocati, pauci uero sunt electi. Loquitur enim de effectu, non de causa electionis, & consolatur nos, ne offendamur paucitate credentium. Multi sunt uocati, pauci uero electi, id est, multis offertur promissio Euangeli, de gratuita remissione peccatorum, & reconciliacione & imputatione iustitiae propter filium Dei, sed pauci eam recipiunt, & pauci huic assentiuntur ac credunt. Et qui assentiuntur, nō certè recipiuntur à Deo, & æternis

C

bonis,

bonis, partis per Christum donantur. Et Esaie 65, dicitur, Tota die expandi manus meas ad populum repugnantem mihi & contradicentem, Ibi ait offerri salutem a Deo omnibus, sed non omnes amplecti oblatum beneficium, sed multos Deo repugnare, sicut & ipse Dominus inquit, Quoties uolui te congregare & noluisti.

## XXVII.

Quare recte sunt enarrandæ phrases scripturæ, ut, Ego indurabo cor Pharaonis, id est, sinam indurari. Item Esa. 63, Quare errare nos fecisti Domine à ijs tuis, id est, quare nos deseris & finis ut miseri ruamus in erros, q. d. te nos sustentante non incidissimus in hæc mala, sed nostra culpa est, sumus ingratí, non petiuimus auxilium, nunc retrahere nos ut fiat tua gloria illuſtrior &c. Item, Excoœcauit oculos eorum, id est, permisit esse cœcos, non liberauit eos à cœcitate, non adiuvit eos ut sanarentur. Item Psal. 104. Conuertit cor eorum ut odissent populum Israel, id est, mutari passus est. Et in precatione quotidiana: Ne nos inducas in tentationem &c. Perspicuum est hæc & similia dicta de permissione & non de effectione intelligenda esse, Postquam enim homines nolunt obedire uocanti Deo, nolunt se se emendare, & contemnunt oblata beneficia, sinit etiam Deus ruere in tetros errores ac tentationes.

## XXVIII.

Atq; hæc quidem permisso non est causa contumaciarum in impijs, nec est causa errorum aut scelerum, quæ tanquam effectus sequi solent ipsam contumaciam seu contemptum Dei, qui peccata nec uult, nec approbat,

bat, nec efficit, nec adiuuat sua efficacia, Et clare dicitur de permissione Acto. 13. Per quadraginta annos tulit mores ipsorum in deserto. Et in sequenti cap. Deus qui fecit cœlum & terram & mare, & omnia quæ in eis sunt, qui in præteritis ætatibus sinebat omnes gentes ingredi uix suis. Et Psal. 81. At Populus meus non audiuit uocem meam, neq; Israel acquieuit mihi, dimisi igitur eos in prauitate cordis sui, ut eant in consilijs suis. Roma. 9. Tulit multa animi lenitate uasa iræ apparata in interitum. Sentit uero Paulus ideo impios esse appa- ratos ad interitum, quia non credunt & pergunt re- pugnare uocanti Deo. Atq; huc referantur similia testi- monia.

### XXIX.

Hoc igitur certo statuendum est, causam reiecti-  
onis seu reprobationis non esse uoluntatem Dei, sed  
peccata hominum. Electionis uero causam in uoluntate  
Dei esse misericordiam Dei placati per Christum fa-  
ctum uictimam & lytron pro peccatis generis humani.  
Sicut dicitur: Sic Deus dilexit mundum, ut unigeni-  
tum Filium suum dederit, ut omnis qui credit in eum  
non pereat, sed habeat uitam æternam. Et Ephe. 1. di-  
citur: Qui elegit nos in Christo ante fabricationem  
mundi, & præfiniuit nos ad adoptionem per filium.  
Item, Dilexit nos propter dilectum.

### XXX.

Sed concurrere oportet apprehensionem nostram.  
Quia enim promissio gratiæ uniuersalis est, & necesse  
est nos obedere promissioni: Sequitur aliquod discri-  
men inter electos & reiectos, à uoluntate nostra sus-  
mendum esse, uidelicet repugnantes promissioni reijci,

C i

econtra

econtra uero amplectentes promissionem recipi. Atque  
sic nos sentire in uero agone necesse est, quia de uolun-  
tate Dei nec potes, nec licet aliter iudicare, nisi ex reue-  
lata promissione. Ex quibus omnibus manifestissime  
apparet, uoluntatem nostram non esse ociosam in con-  
uersione, aut se ut saxum aut incudem habere.

### XXXI.

Nec aduersantur huic nostrae sententiae dicta se-  
quentia aut similia, Roma. 9. Non est uolentis neque  
currentis, sed Dei miserentis. Verum est enim, miseri-  
cordiam & meritum Christi esse causam electionis, &  
trahi electos à Deo, sed uerbo & spiritu Sancto trahun-  
tur, cui trahenti non repugnandum est, & promissioni  
de gratuita propter filium remissione peccatorum &  
reconciliatione assentiendum, sicut in eodem capite di-  
citur: Omnis qui credit in Filium, non confundetur.  
Nec retinenda est in animis & confirmanda dissidentia,  
aut expectandum donec cogatur uoluntas, ut saxum  
ui impellitur. Et cum in pauoribus sustentat se mens  
promissione gratiae, simul est efficax Spiritus sanctus,  
iuxta dictum illud Gala. 3. Ut promissionem spiritus  
accipiamus per fidem. Item, Misereor cuius misereor,  
docet causam electionis non esse nostram dignitatem  
aut nostra merita, seu opera legis, sicut tum populus Is-  
raeliticus cogitabat: Sed monstrat causam esse Dei mi-  
sericordiam propter filium deprecatorem & propicia-  
torem. Miseretur igitur Deus illius, id est, recipitur à  
Deo & placet illi, qui fide accipit & apprehendit meri-  
tum Christi. Ea enim uoluntas expressa est in uerbo,  
sicut dicitur: Hæc est uoluntas patris, ut omnis qui cre-  
dit in Filium, habeat uitam æternam. Item illud Christi:

Nemo

Nemo potest uenire ad me, nisi Pater qui me misit,  
traxerit ipsum. Trahit autem Deus per uerbum, per  
quod Spiritus sanctus est efficax, in his, qui non re-  
pugnant uerbo seu uoci Euangelij, qua tanquam in-  
strumento Spiritus sanctus in mente nouam lucem, &  
in corde nouos motus accedit, ut Roma. i. dicitur:  
Euangelium est potentia Dei ad salutem omni creden-  
ti. Item, Qui ducuntur spiritu Dei, hi sunt filii Dei.

### XXXII.

Requirere autem Deum, ut apprehendamus pro-  
missionem, & assentiamur, nec repugnemus, aut diffi-  
dentiæ & dubitationi indulgeamus, perspicuum est ex  
sequentibus uerbis Christi eodem in capite: Omnis igi-  
tur qui audit à Patre & discit, uenit ad me. Item, Acto.  
13. Et crediderunt qui erant ordinati ad uitam æternam.  
Sunt autem omnes hi ordinati, electi & recepti à Deo  
ad uitam æternam, qui audiunt & discunt Euangeliū  
uocem, & filium fide intuentur. Hic enim est æternus  
& immobilis ordo diuinus manifesto uerbo Dei ex-  
pressus, ut omnis qui credit in Filium, habeat uitam  
æternam: Qui autem non credit, sit iam iudicatus, &  
ira Dei maneat super eum. Quare mouenti Spiritui  
sancto corda nostra ut credant, non repugnare etiam  
debemus, sed assentiri uerbo per quod Spiritus sanctus  
est efficax.

### XXXIII.

Et firmiter tenendæ sunt Hypotheses, quæ maxis-  
mè illustrant hanc totam disputationem, quibus retens-  
tis aberrari à uera sententia non potest. Ex solo uerbo  
patefacto per Prophetas, filium Dei, & Apostolos, dis-  
cendum est, quæ sit uoluntas Dei. Ex hac, quæ sine

C iij ulla

ulla dubitatione uera, firma & certa est, sequuntur  
aliæ.

Quòd Deus non sit autor nec causa peccati.

Item, Quòd promissio gratiæ sit uniuersalis.

Item, Quòd æternum & immutabile sit mandatum  
Dei, ut assentiamur promissioni, & credamus in Filium,  
eique debitum honorem redemptoris & propiciatoris  
tribuamus.

Item, Quòd nec ex ratione nec ex lege, sed ex sola  
Euangelij uoce iudicandum sit de electione.

Quòd totus numerus saluandorum propter Chri-  
stum electus sit.

Quòd non alia sit electionis quam iustificationis  
causa &c,

### XXXIIII.

Et quanquam uociferantur quidam, extenuari &  
imminui auxilium Spiritus sancti, si uel minimum  
uoluntati humanæ tribuatur. Hæc quamvis speciosa  
& plausibilis uideri possit ratio, tamen piæ mentes in-  
telligunt, hac ipsa nostra sententia, qua tribuimus ali-  
quam Synergiam uoluntati nostræ, uidelicet quam-  
cunque assensionem & apprehensionem, prorsus nihil  
detrahi de auxilio Spiritus sancti. Huic enim primas  
partes dandas & tribuendas esse affirmamus, qui pri-  
mum ac principaliter mouet per uerbum seu uocem  
Euangelij corda ut credant, cui deinde & nos quan-  
tum in nobis est assentiri oportet, & mouenti Spiritui  
sancto non repugnare, sed nos uerbo subiçere, cogita-  
re, discere, & audire illud, sicut Christus inquit: Omnis  
qui audit à Patre & dicit, uenit ad me &c,

Nec

### XXXV.

Nec ab hac nostra sententia quicquam alieni constinet hoc dictum S. Pauli: Fides donum Dei est. Sumus enim iusti, non propter nostram qualitatem aut dignitatem, sed propter meritum Christi, quod fide apprehendimus, quam fidem seu fiduciam accedit Spiritus sanctus in nobis, non repugnantibus sed assentientibus & obedire conantibus. Quæ quidem fides deinde in pauoribus conscientiæ excitata & agitata fit ardenter, augetur & confirmatur.

### XXXVI.

Et quamvis peccatum originis tristem atq; horribilem ruinam naturæ nostræ attulerit, quantam uix cogitare possumus: Tamen non ideo existimandum est, omnes prorsus noticias quæ fuerunt in mentibus primorum parentum ante lapsum, deletas & extintas esse post lapsum, aut uoluntatem humanam nihil à sanguine includere differre. Sumus enim ut grauissime dixit S. Paulus, Synergi Dei, quæ quidem Synergia adiuuatur à Spiritu sancto, & confirmatur,

### XXXVII.

**Q**VINTO, prudenter discernenda sunt dicta, quæ concionantur de obiectis & successibus extra nos, Et de salutaribus ac prosperis actionibus, quas excitat in Ecclesia sua Deus, ab ipsis dictis, quæ propriè loquuntur de electione uoluntatis in re quam prospicit. Talia sunt Ieremias, 10. Scio Domine, quod non est hominis uia eius, & uiri dirigere gressus suos. Item, Prover, 16. Homo præparat cor, Deus autem

us autem gubernat consilium. Item, Sine me nihil possestis facere. Item, Non potest sibi homo sumere quicquam, nisi datum sit ei de cœlo &c. Hæc & similia dicta non tollunt libertatem uoluntatis, quod ad electionem attinet in his quæ præuisa sunt, sed loquuntur de obiectis extra nos, & de euentibus, ad quas concurserunt aliæ plures causæ præter nostram uoluntatem.

### XXXVIII.

Ephes. i. Deus agit omnia secundum consilium uoluntatis suæ. Hoc dictum non debet accommodari ad utrumq; genus actionum, ad bonas & malas actiones omnium hominum. Nam S. Paulus tantum loquitur de beneficijs diuinis in Ecclesia, uidelicet de uocatione, electione, gubernatione, & gloriōsis liberationibus Ecclesiæ &c. ut confirmet nos, ne in tanta imbecillitate nostra, & in tam uarijs periculis & distractionibus existimemus Ecclesiam tantum humanis uiribus & consilijs regi, ac propterea fracti desperatione abiçamus doctrinam.

### XXXIX.

Deus est qui efficit in uobis, & ut uelitis, & ut perficiatis pro bona sua uoluntate. Certum est & hoc loco S. Paulum loqui de bonis & salutaribus actionibus seu uocationis officijs, ut appareat ex tota serie orationis. σωτηρίαν uocat idem quod S. Petrus in 2. Epistola cap. 1. κλῆσις, id est, uocationem seu officia uocationis, quæ præcipit magna cum attentione esse exequenda.

### XL.

Omnia facit Deus propter se se etiam impium ad diem malum. Etsi Deus condit naturam, quæ postea impij

imp̄j abutuntur, tamen non est causa efficax ipsius impietatis seu peccati. Et discernenda est natura à motu uoluntatis, qui oritur ab ipsa libera uoluntate, Et tamen Deus propter suam gloriam tolerat impios, ut aliqui conuertantur, & aliorum poena ostendat iudicium Dei, sicut Pharaonis, Saulis, Iude &c.

## XLI.

Exposuimus breuiter doctrinam de libertate uoluntatis humanæ, congruentem cum Propheticæ & Apostolicæ scripturæ testimonij. Prolixiorem explicationem requirant studiosi in scriptis D. Philippi, præceptoris nostri. Precamur æternum Deum patrem Domini nostri Iesu Christi, ut hanc accensam in nobis lucem non sinat extingui, sed conseruet, augeat atq; protegat gregem suum, propter eundem unigenitum filium suum Iesum Christum, Dominum & seruatorem nostrum, AMEN.

**H**AEC sunt capita disputationis indicatae, summa cum fide denuo edita. In quibus potuit cernere, quicunq; illa legit, non modò ea uerba non extare, quæ ut dubitanter commemorata sic confidentissimè mihi tributa sunt, Sed ne sententiam quidem. Vnde autem illa uerba collecta aut comperta sint, non possum discernere. Nisi quòd simile hoc facinus uidetur prioris audaciæ atq; impudentiæ. Quid enim non scrutari, quid non arripere, quid non supicando colligere, tum uero falsitate infamare et calumniando detorquere malevoli isti soliti fuerunt;

D

Historijs

**H**istorijs proditum est, Persas ebrios consueuisse deliberationes suscipere, & instituere consultationes. **Q**uo tempore isti consilia capiant, & quando rationes explicitent suas, non sunt scilicet familiares. Scripta quidem ipsorum malevolentis et odii ebrietatem redolent. Sed de his non est propositum differere.

**A**dditur in illo condemnatorio scripto, sane gravis & uehemens censura, de loco Apostoli Pauli, adducto perperam. Nam cum Paulus scripsit Corinthijs, Apostolos esse Synergos Dei, haec dicit accusator meus aliena esse, neque pertinere huc. De Ministerio enim loqui Apostolum, deinceps his sine causa concionatur uerbose, meam ignorantiam tantae rei irridens. Apostolus, inquit, de plantatione & rigatione ministrorum uerba facit, ibi sumus cooperatores Dei, haec me, quem per ludibrium doctissimum uocat, ait ad liberum arbitrium traducere.

**E**quidem fateor non esse me acri ingenio, doctrina etiam minime superbio, sed diligentiam & fidem in cognoscenda & docenda ueritate hactenus me praestitisse confido, neque ullius erroris aut corruptelæ mihi conscius sum, inuestigatae à me aut retentæ in Ecclesia. Officio meo functus sum sedulo pro mea parte, Pastor mei ouialis, non exagitator alieni. Et nunc quoque fungor munere, quam bene & præclarè possum, agnoscens tenuitatem meam, & auxilium implorans ueri & solius boni pastoris. Sed de me satis uel nimis um potius, Apparendum enim est uniuersis coram tribunali

bunali Dei, & reddenda administrationis totiusq; uitæ  
ratio.

Non autem ad liberi arbitrij assertionem fallam  
arripui uiolente, ut obijcitur mihi, Sed ad explicati-  
onem eorum quæ erant proposita, simpliciter accom-  
modauit dictum Apostoli. Ac miror sane, quamuis  
potuerit iam pridem intelligi, maleuolos istos me in  
primis odiisse, tamen miror, inquam, si lectis ijs quæ  
oppugnantur, tam impudenter euomere falsa non  
ueriti sunt. Imò talia scribentes mirum est ulla conside-  
ratione aut respectu usos esse.

Ponitur à me hoc: Sumus, ut grauissime dixit  
S. Paulus, Synergi Dei. An non dixit hoc Paulus: Cer-  
té dixit. Sed de Ministerio. Nunquid uerò plantator &  
rigerator ociosus est, & nihil agit, sed ibi facet tanq; fax-  
um: Imo uerò & ille omnem diligentiae, studij, indu-  
striae, laboris curam & operam adhibet. Necq; aliud  
erat propositum mihi ad probandum, quam uoluntatis  
usum aliquem esse reliquum, necq; naturam deletam  
aut extinctam, sed corruptam atq; miserabiliter depræ-  
uatam post lapsum, ut quamuis per se illa quidem &  
proprijs uiribus integratem recuperare non ualeret,  
necq; surgere post ruinam. Tamen, quemadmodum do-  
ctrina attendendo intelligi, ita assentiendo obtemperari  
aliquo modo posset. Ista sane est admodum seruilis li-  
bertas, & arbitrium penè alienum. Nisi enim respice-  
ret oriens ex alto eos, qui in tenebris & umbra mortis  
sedent, nunq; necq; aperirentur oculi ullorum, necq; lux  
uitæ posset contingere. Sed ad respectum Orientis  
D ij aspicere,

aspicere, & à luce non auerti omnino oportet, eos qui  
& in lumine æterni Dei, & splendore uultus ipsius uo-  
lunt ambulare. Hæc certe est Synergia. Ut Apostolus  
rigando plantandoue adiuuat consilium salutare Dei,  
sic unusquisq; in sua uocatione, non repugnas Sancto  
spiritui, qui est efficax per prædicationem Euangeliū,  
adiuuat consilium Dei salutis & uitæ æternæ, qui uult  
omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis  
peruenire.

Hæc est uera & perpetuò consentanea sententia  
doctrinæ Patrum, Prophetarum, Apostolorum, quæ est  
ueritas cœlestis, prolata è sinu æterni Patris à filio uni-  
genito Domino nostro Iesu Christo : Hanc proposue-  
runt & explicarunt, pro hac pericula maxima adierunt,  
deniq; mortem oppetuerunt in Ecclesia Catholica con-  
fessores & doctores ueritatis. Hanc mea exilitas pro  
modulo suo conata est in Scholasticorum pio conuentu  
celebrare. Necq; aliena uerba necq; abhorrentes senten-  
tiæ in meo libello extant. Nisi si quis recta detorquere,  
& sincera corrumpere, & simplicia peruertere male  
narrando uelit. Aduersus quam pestem nullum re-  
medium est. Necq; effugere acerbitatem & furorem  
istum potuere Apostoli, ac ne ipse quidem Christus.  
Non aliam speciem tanq; obiecto uitro colorato cera-  
nere solet ista immanitas odij, sed cœca ruit huc illuc,  
& arripit ea in quibus necq; res necq; species est ueritatis.  
Itaq; durat impetus iste expers rationis, quamdiu De-  
us propter peccata nostra permittit. Necq; non præclas-  
ras sententias isti solent prætexere Zeli sui in citationis  
bus, Et cum contestando tum detestando à se in alios  
deuoluere

deuoluere causas perturbationum, Sed Deus non iridetur, qui iudicat occulta cordium.

Hoc solummodo oro pios & Christi fideles, propter eum qui mortuus est, ut nos uiueremus, filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ut meum paruum, & sane parui faciendum eruditis, libellum perlegant, & nisi animaduerterint istud fuisse propositum, ut quadam serie consequentiae exponeretur, cum hoc, quod ait Christus: Sine me nihil potestis facere, tum similia dicta, non recuso, quin habear pro non fideli øeconomio in Ecclesia. Sin hoc perspexerint, & fortasse desiderarint luculentam & disertam tractationem, aut potius deprehenderint defectum aliquem, peto ut meæ infirmitati uenia detur, & ut fraterne me admoneant. Non enim abiiciendi sunt imbecilles, sed fouendi. Praesertim cum ego non inuideam neq; obtrectem aliorum præstantiæ & magnitudini.

Quod si isti maleuoli hanc sententiam non probant, sed hominem, ad omnem respectum diuinæ uisitationis, ad filij, quod est uerbum Dei, auditum sermonem, ad Spiritus sancti agnitionem, nihil agere, fas cere, conari, studere, adiuuare, sed tantum pati, iacere, uolui, percuti, cogi etiam existimant, profiteor & testor, me ab illis dissentire, assentientem doctrinæ sacrarum literarum & Catholico ac orthodoxo intellectui. Si igitur tanq; truncum esse aut stipitem censem hominem, ut quicquid de hoc fiat, id uiolentum sit ( quod tamen haud scio an non censeant ) Sed si quid tale uolunt, dicant aperte, ut dijudicet Ecclesia, & damnet falsum, defendendo uerum. Sin aliter existimant, cur

D ij mea,

mea, quæ neq; arbitrii absolutam libertatem ponunt, neq; tribuunt miseræ naturæ infirmissimis viribus quicq; quam ad Deum, præter iudicij uerbo Dei instructi cognitionem, & uoluntatis motæ sancto Spiritu inclinationem, ut neq; peruicacia ueritas damnetur, neq; consumacia repugnetur Spiritui sancto. Hæc igitur cur condemnant: Seu intellexerunt, seu non intellexerunt. Si enim intellexerunt, contrariam sententiam par erat explicare eos & defendere, non inculcare alienam & absurdam, quod est Sycophanticum. Si non intellexerunt, cur faciunt ex Pfeffingerio Scotistam aut Thomistam, quorum ille lector aut doctor non est, sed sacrarum literarum & scripturæ Propheticæ atq; Apostolicæ, pro suæ paruitatis mensura. Sane ualde metuo oculos istorum ad ueritatis conspectum nullo modo posse conuerti, Ardent enim odio in eos, à quibus læsi non sunt, quamvis ipsi fingant & comminiscantur multiplicia crimina. Quod si ab ipsis non potest obtineri, ut intelligant aut querant ueritatem, utq; tranquillitatem & quietem ament, Meam tamen & mecum coniunctorum nullam esse culpam uel impediti cursus cœlestis doctrinæ, uel offensionis & scandali dati, & esse bonam & integrum conscientiam lætor, & ago gratias æterno Deo, Patri Domini & salvatoris nostri Iesu Christi, quem supplicibus & humilibus precibus tota mente oro, ut Sancto spiritu suo gubernet omnia deinceps quoq; consilia & actiones nostras, & dirigat ad propagationem cœlestis ueritatis & Euangeli regni, & gloriam ac celebrationem nominis sui, & salutares fructus Ecclesiæ. Utq; coherceat effrenem impetum tumultuantium in congrega-

gregationibus pijs, & doceat omnes cuius spiritus sint,  
ut ab uniuersis placide & concorditer in cuiusc<sup>e</sup> sua  
uocatione, colatur religiosa ueneratione, unus, solus,  
uerus, omnipotens, aeternus, sanctus, fortis, immorta  
lis, castus, iustus, misericos, clementissimus De  
us, cui sit laus, honor, gloria, regnum,  
uictoria in secula seculorum,  
**A M E N.**





**ULB Halle**

004 762 231

3



19. 1417. 61

NO



## Farbkarte #13

B.I.G.

Centimetres      Inches

1	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	8
---	---	---	---	---	---	---	---	---	---	----	----	----	----	----	----	----	----	----	----	---

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Black

3/Color

ESTRA  
ESTI MEN  
CIL,

ARE CONAS  
M IOHANNEM  
QVIDAM MALE  
ermanicè editus titus  
, Necessaria propter  
auersionem Scan  
xistimationem  
strinæ.

140.

nt serpentes, uenenum  
ojs corum.

ERGÆ

8.

OTHECA  
AVIANA



III. 850.

t 4